



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Ivre, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

XXIV. Cuinam contrahentium res vendita pereat, vel deterior fiat ante
traditionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

PUNCTUM XXIV.

Cuinam contrahentium res vendita pereat, vel deterior fiat ante traditionem?

- 1 Facta traditione emptoris est commodum, & incommodum rei emptor.
- 2 Ante traditionem idem contingit, si res determinata vendita fuerit.
- 3 Intellige nisi culpa venditoris contigerit, aut fuerit in mora culpabili.
- 4 Si vendita res sit sub conditione, pendente conditione venditoris est commodum, & incommodum.
- 5 Ad idem est, si venderes rem mensurandam.
- 6 Cum res vendatur sub indeterminatione non excusaris ab illius solutione ob cuiuscumque rei interitum.

Non est dubium facta traditione emptori commodum, vel incommodum rei venditae contingere, quia illius est, & illius dominium habet. Quod procedit tamen si pretium non fuerit solutum, modo fides de eo data fuerit. Ut constat ex leg. lictas, & leg. quod si neque ff. de periculo, & commodo rei vendita. Et tradit Anton. Gomez 2. variar. capit. 2. numer. 32. Si autem nec pretium fuerit solutum, nec de illo emptor fidem dederit, non censetur venditor velle rei venditae dominium in emptorem transferre. Ut habetur §. venditae in §. de rerum diuis. & ibi Glossa, & aduertit Layman. l. 3. §. non. §. tractat. 4. cap. 17. §. 2. num. 11.

Ante traditionem vero, si res determinata absolute fuerit vendita, esto dominium illius in emptorem transfatum non sit. leg. traditionibus Cod. de patris; attamen commodum, & incommodum emptori accidit, ita vt non obstant deteriora- tione, vel interitu rei venditae teneatur pretium solvere, si forte non soluit, quia sic censetur esse mens contrahentium cum aliter conuentum non fuerit. Quam intentionem ius non impedit, sed potius facit. §. cum autem in iuncta Glossa; in §. in §. de empt. & vendit. leg. quod si neque §. si res ff. de contrahend. emptione leg. necessario ff. de periculo, & commodo rei vendita. leg. & sequens. Cod. eodem titulo. Anton. Gomez 2. cap. 2. numer. 32. Neque obstat Textus, in leg. bona fides ff. de actio- nibus empti. Vbi resolutio contractus ex vna parte ex alia resolu- tur, quia vt bene ibi respondet Gomezius id intelligitur quando fit resolutio per dispositionem legis principis, vel sententiam iudicis, cui consonat Rebell. lib. 9. quast. 15. numer. 25. Molina disputat. 366. §. 4.

Hoc autem intellige, modo rei venditae diminutio vel interitus non succedat culpa venditoris. Nam cum ipse ex vi contractus teneatur rem venditam tradere, consequenter obligatur ad illius custodiam, ac promde teneatur de dolo, lata leui- que culpa. Anton. Gomez 2. variar. capit. 2. numer. 32. Rebell. 2. p. lib. 9. quast. 15. numer. 19. Lessius, lib. 2. capit. 21. dubitat. 12. numer. 97. Eman. Saa verbo venditio, numer. 29. Secundo intellige ne fuerit in mora culpabili rem tradendi, alioquin apud emptorem non eodem modo perituras. Ut ha- betur leg. illud ff. de periculo, & commodo rei vendita, & solum praecitati Doctores. Si autem constaret eodem modo apud emptorem perituras fore, neque in foro externo, ne- que in foro conscientiae censendus est venditor obligandus sed emptori damno cedit. Ut colligitur ex leg. item §. §. ult. ff. de rei vindicatione & ex leg. cum res §. ult. ff. de legatis 2. a contrario sensu. & tradit Glossa in §. cum autem instituit. de emptio. & vendit. Rebell. lib. 9. quast. 15. numer. 21. Lessius dubitat. 12. numer. 96. Saa. verbo venditio numer. 26. quia eo casu nullum ex mora praedictum emptori aduenit. In dubio tamen an eodem modo res apud emptorem foret perituras facienda est interpretatio contra morosum venditorem tum in foro externo, tum in foro conscientiae. Ut recte aduertit Rebell. loc. cit.

Quod si venditio absoluta non fuerit, sed sub conditione pendente conditione venditoris accidit rei venditae interitus, & illius pretium emptori restituendum est, quia ante aduen- tum conditionis non est perfecta venditio, leg. illud. ff. de periculo, & commodo rei vendita, & interitu rei venditae contractus dissoluitur, vt aduertit Anton. Gomez 2. variar. capit. 2. num. 32. in fine. Si autem rei venditae decretum abs- que culpa venditoris accidit emptoris erit, si postmodum con- ditio impleatur, quia conditionis positioe pericitur venditio, neque obinde tenebitur venditor velle pretii diminutio- nem facere, alias contractus mutaretur. Sicut colligitur ex leg. necessario ff. de periculo, & commodo rei vendita: & tradit Rebell. d. quast. 15. num. 4. Molina disputat. 366. §. quando loco.

Ad idem est si venderes rem mensurandam, vel gustan- dam, quia censetur sub tacita conditione mensurationis, vel gu- stationis vendere, ac proinde tanquam de re sub conditione

vendita agi oportet leg. quod si neque ff. de contrahenda empt. & leg. 2. Cod. de periculo, & commodo rei vendita, & tradit Syluest. verbo emptio, quastio. 2. Anton. Gomez. capit. 2. numer. 22. Couarrua. pract. capit. 3. numer. 7. Saa venditio. numer. 26. Lessius dubitat. 12. numer. 96. Rebell. quast. 15. numer. 5. Molina, disputat. 366. Layman. lib. 3. sum. sect. 5. tra- ctat. 4. capit. 17. §. 2. numer. 11. & alij. Quod intelligere de- bes, dum terminus mensurae, seu gustationis appositus non ad- uenerit. Nam eo adueniente si per emptorem steterit mensu- ratio eiusdem, deinceps erit periculum, nec venditor tenebitur nisi dolo, & lata culpa. Ut expresse notat Rebell. d. quast. 15. numer. 10. Molina disputat. 366. §. obserua. Quod si termi- nus praefixus non fuerit interim periculum est venditoris, dum ipse congruo tempore emptorem non mouerit, vt mensura- tionem faciat. At monito emptore per ipsum erit rei venditae periculum, vt praecitati Doctores notant iuxta leg. 2. leg. si quis vina §. vitim. leg. si per emptorem. ff. de periculo & com- modo rei vendita. Quibus cauetur si transacto termino men- surae, vel requisito emptore intra opportunitum tempus vt men- suram faciat, remque venditam accipiat, ipse culpabiliter omi- serit, posse venditorem impune, & absque iniustitiae peccato rem venditam effundere. Lege vero charitatis inspecta id facere non poterit, si commode possit alteri vendere, vel absque sui grauiori detrimento rem obsequare emptori exigendo ab eo lucrum cessans, aut damnum ob eam causam emergens. Sicuti aduertit Rebell. d. quast. 15. num. 12. Obserua tamen si interim dum res vendita mensuratur, aut ponderatur deterior fiat detrimentum non emptori, sed venditori cedat, tamen si postea numeretur, aut ponderetur, quia ipse venditori videtur imputandum, quod conditionem non impleuerit, ac proinde quod contractum non perferret cum facile possit, ideoque in ipsum decrementum est reiciendum. Vt aduertit cum Glos- sa in leg. quod si neque §. in iis vers. adnumerauerit. ff. de contra- hend. empt.

Quod si res sub indeterminatione absoluta seu in genere vendita fuerit vt si venderes decem modios tritici, duplicem seruum &c. absque vlla designatione loci ex quo debent extrahi ob cuiuscumque tritici a te possessi abstumpionem, vel serui interitum non excusaris, quia esto omne triticum quod possides absumatur, & omnes serui quos habes, & ex quibus cogitabas venditionem perfecturus pereant, cum alij serui, aliudve triticum in rerum natura sit ex quibus venditio perfici possit, teneris leg. in ratione la 2. §. incerta Digestis ad legem falcid. & leg. incendium. Cod. si ceruum peratur. Si autem sub aliqua determinatione venditio instituta sit, vt si venderes decem modios tritici ex his quos habes congregatos, debent vt ab hac obligatione excuteris omnes absumi. leg. 1. vers. sed non sunt. Digestis de periculo, & commodo rei vendita. leg. 2. vers. cum autem. Cod. eodem. Sic Anton. Gomez, 2. variar. cap. 2. numer. 32. post med. Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 12. numer. 97. Rebell. lib. 9. quast. 15. numer. 14. Eman Saa verbo venditio num. 27. Mol. tract. 2. disp. 366. paulo post init.

PUNCTUM XXV.

Num fructus rei venditae pendentes emptori, vel venditori pertineant?

- 1 Conuentioni standum est, si de ipsis facta est conuentio.
- 2 Si nulla est facta conuentio fructus pendentes tam maturi, quam immaturi emptoris sunt.
- 3 Corollarium ex superiori doctrina quoad locationem.
- 4 Pensio locationis in re vendita a sisco integre emptori competit, si tempus soluenda pensiois non aduenit.
- 5 Actio exigendi pensioem locatori competit.

Side fructibus tam enatis quam-nascentibus conuentum sit inter contrahentes ad quem spectare debent conuentioni standum esse aperte colligitur in leg. qui fundum §. fundi, Digestis de contrahend. emp. & leg. Iulianus §. si fructibus. Digestis de actionibus empti, & tradunt Doctores com- munitate.

Si autem nihil sit dispositum: fructus pendentes tam matura- ris, quam immaturi emptori competunt, quia vel sunt accessorii rei vel illius pars, vt habetur leg. Iulianus §. si fructibus, & §. si quis seruo Digestis de actionibus emptio- nis, leg. post perfectum. Cod. eodem. leg. fin. §. fru- ctus. Digestis de his qua in fraudem creditor. & notantur ex communi Anton. Gomez 2. variar. capit. 2. numer. 11. Couarrua. 1. variar. capit. 15. numer. 2. Molina. disp. 368. conclus. vltim. Rebell. lib. 9. quast. 17. conclus. 1. Lessius lib. 2. capit. 21. dubitat. 13. numer. 100. Paul. Layman. lib. 3. sum. sect. 5. tractat. 4. capit. 17. §. 2. numer. 17. Et licet An- gelus verbo emptio numer. 2. & Syluest. eodem, quast. 3. cen-
Z 4 scaus